

Enoch Svantenius Christoph Calovius

Miscellanea Philosophica

Rostochi[i]: Wepplingius, 1683

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730612309>

Druck Freier  Zugang



R u phil 1683

MISCELLANEA PHILOSOPHICA

CONSENTIENTIBUS AMPLISSIMIS PHILOSOPHIS
IN ILLUSTRIS AD VARNUM ACADEMIA
SUB PRÆSIDIO

VIRI EXCELLENTISS. AMPLISS.

DN. M. ENOCHI SVANTENII,

POES. PROF. PUBL. CELEB.

AD DIEM. 7. NOVEMB. AO. MDC LXXXIII.

IN AUDITORIO MAJORI

PUBLICICE VENTILANDA PROPONIT

AUCTOR

CHRISTOPHORUS CALOVIUS,
PRUSSUS.



Rostock, Fratr. WEPLINGIANO, Acad. Typogr.

Sic Tibi, CALOVI, Sophiae sit campus amoenus,
Unde avido flores promere mille licet.
Colligis huc varios pergrati & dulcis odoris,
Et, Tua sedulitas ut micet inde, facis.
Quid nos? his studiis faveat DEUS ipse, precamur,
Spesque Tuas jubeat jugiter esse ratas!
Atque ita perge, DECUS pulchrum, Sophiae incluta prata
Certa ferent CAPITI ritè brabea Tuo.

Votum hoc & omen

*Honori Praeclari eximieq; Docti Dn. CHRISTOPHORI CALOVII sub
Excellentiss. Collegae SVANTENII Praesidio Miscellanea quaedam,
tamquam flosculos Philosophicos, exhibentis S.*

GOTTLOB FRIDERICO Seligmann

Metaph. & Phys. Prof. Facult. Philos. Decano Templi Cas-
thedr. Archid. ap. Lipsiens. adhuc Ducali Colle-
giato, & h.t. inclutæ hujus Acad. Restore.

Ad Praecellentem Juvenum

DN. CHRISTOPHORUM CALOVIVM

SS. Theol. Cultorem fulgidissimum,
publicè RESPONDENTEM.

Sic te tollis humo! SCHWANTENI, scande cathedram,
Praesidio, & praesta (quod potes arte) Virum.
Certa fides caeli. DOMINUS tua vota secundet!
Sic pergas. celsæ currere mentis iter!

AUGUSTUS VARENIUS, D.

Quam tibi sit curæ sapientia vera, CALOVI,
Arguit hoc doctæ nobile mentis opus.
Præmetio tali successerit ubera messis,
Cum doctæ plenas laudis habebis opes.

*Nobiliss. & Egregie Docto Dn. Auctori, Amico ac Auditori jucundiss.
de primitivis Miscellaneis Philosophicis publicè expositis, cum a
voto amplissimi studiorum eximie floridorum incrementis
quintus gratulatur.*

PRÆSES.

Quod vigili *Musas* secteris pectore, *Amice*,
 Hoc praesens specimen ritè probare potest.
 Laudo! sit pietas, sit docta scientia cordi,
 Sic Sophiæ pretium statqve manetqve suum.
 In patriâ multos tibi tunc numerabis amicos,
 Si post sudores prospera fata feres,
 Est Genius tibi, sunt vires; felicibus ergo
 Anibus hic vigila. Sit comes alma *Trias!*
 Gratulor, impulsus quo te complector amore,
 Speqve tui accensus, præmia digna precor.
 Perge ita, CALOVI, Perge impalescere *Musas*,
 Et titulo posthac te meliore canam.

*Ita per dilecto ex Sorore Nepoti, Dn. CALOVIO Th. & Phil. Studiose
 indefesso, & Autori hujus Dissert. de primitiis Acad. gratulatur*

BERNHARDUS MULLER/

Eccles. ad Div. Mar.

Dum subis excultæ certamina publica lingvæ,
 Quasque Sophus nectit, discutis arte plicas:
 Nescius angusto, CALOVI, limite claudi,
 Quas tacito servas pectore, pandis opes.
 Egregios opto multo cum fœnore fructus,
 Victurumqve labor conferat iste decus.

*Clariss. Dn. CALOVIO Fautori meo & Amico colendiss. ad scrib.
 CALOVIANI nominis perpetuus Cultor.*

M. JOH. CHRIST. ROSTEUSCHERUS, *Gedan.*

<p> Belebte Frucht sucht guten Grund/ Und Klugheit red-belebte Mund/ Die Tugend huldet weissen Herzen. Wer dieses <i>JESEZ</i> werther Freund/ Siehe wie durch hohen Fleiß verein't/ Grund/ Mund und Weißheit mit dir scherzen. Der weisse Schaum/ liebt reine Gluth/ Die <i>Musen</i> <i>Äreu</i>-gesin'ten Muth/ Un den/ der <i>HD</i> ist ihren Züen. Von ihnen wird schon auffgeweht Was dir der Himmel zugezehl/ Weil reine <i>Treu</i>/ treibe deine <i>Sinn</i>. </p>	<p> Zwar sind ein scheeles Neidgesicht Auch selbst den Echne ohn Flecken nichte Vertraute triegen heut im Trauen. Doch wie die Luft durchs Wiedersteh'n Den Pfeil macht in die Höhe gehn; So mus der Neid dich auch erbauen. <i>GDZ</i> gebe ferner Glück dazu! Und laß zu Herz-erwünschter Ruh Was dein Verlangen wünsch't gedehe! So wird das wolgesetzte Ziel Dich/ weil <i>GDZ</i> selber ist im Spiel/ Mit Glück und Ruh nach Wunsch erfreuen/ </p>
---	--

HEINRICUS Saffi/ *Pruss.*



I. N. S. S. T.

I.



Ocius *Philosophie finem*, non tantum contemplationem & cognitionem, verum etiam *quocumque* *Deū*, & *ro durandū ar-
Sedōm*, ut AMMONIUS *Præfat. in
Isagog. Perpbyr.* ex mente ARISTOTELIS loquitur, esse, haud obscure evinci potest: *Vid. lib. II. de
Gen. Animal. cap. III. lib. I. de An.
Cap. I.* Cum enim DEUS causa sit & principium omnium rerum *Lib. I.*

Metaph. C. II. & lib. de Mund. C. VI. hoc est: cum omnia ab ipso fluant, & ad ipsum referantur; cur proinde non etiam cognitio reliquarum omnium resolvatur ad cognitionem DEI? *Conf. MAX. TYRILLIS Dissert. I. atq; cit. AMMON. Præf. in Lib. Categ. Arist.*

II.

Ita DEUS qui Principium omnium rerum ARIST. dicebatur, etiam nostrarum Thesium auspiciū fuit! Adsit ILLE porro quoque proposito nostro suā Gratiā, ut sine potiamur, qui est Divini Nominis cognitio & gloria! A Fine autem Philosophiæ ad Definitionem & Naturam ejus disputationem promovemus. *Philosophia, quid sit* *quæcplex, ea sit* accuratè evolvi non poterit, nisi vocabuli *Sapientia* definitiones attendantur. Cum enim *Philosophia* & *Sapientia* prorsus eadem sint, & apud ARISTOT. *Lib. IV. Metaph. C. II. & III. lib. XIII. C. III. Lib. I. de Anim. C. I. Lib. II. Phys. C. II. Lib. III. Physic. C. III. & lib. VI. Met. C. II* passim permutentur; *Sapientia* vero æquivocum sit, & *Deū* *ἐννοεῖ ἀφ' ἰδὸς* dicatur *Lib.*

A

IMe

I. Met. c. II. manifestum, n̄ fallor, erit *Philosophiam unā defini-
tione proprie distā*, cujus Leges Philosophus in Topicis sat excellen-
ter præscripsit, *comprehendi vix posse*. Definienda est vel opti-
ma Philosophiæ pars, quæ *de re omnium honorabilissima* tractat, cu-
jus definitionem *lib. VI. Ethic. c. VII. & lib. V. Eudem. c. VII.* legi-
mus, quæque Metaphysica, sive *sapientia prima & Theologia*,
audit *lib. VI. Met. C. I.* vel singulæ partes speciatim sumptæ, positi-
o genere sumptisque differentiis, ex objecto & fine adæqvato, item
modo pertractandi, describendæ. *Conf. Lib. VI. Topic. C. III. & IV,*
nec non Excell. Dn. Profess. HEDIO. *Organ. Aristot. Proleg. de Phi-
los. in gen. & Beat. D. WATSON. Diss. I. in Sap. Sec. Part. I. Th.*
III. Rintel. Ao. 63. hab.

III.

Inter controversas sat vexata est quæstio de *Summo Bono
practico*, adeo ut vix tam diversa inter se quis esse credat inge-
nia, quàm diversissimæ de S. B. extant opiniones; exinde non est
quod mireris VARRONEM CCLXXXIIX notasse, *non quæ jam
essent, sed quæ esse possent*, teste AUGUSTINO *lib. XIX. de Civit.
D. Cap. I. p. m. 475.* nam hodiernum adhuc aliter Vulgus, aliter
Civiles sive elegantiores, aliter Philosophi, imò sapius unus idemque
homo variè sentiunt. Quæ hic prolixior moveri poterat disputa-
tio, eam paucis accuratissima ARIST. absolvet definitio. Ita autem
ille *lib. I. Eth. C. (VI) VII. ἡ δὲ δαιμονία ἐστὶν ἐπέργεια ψυχῆς λογι-
κῆς καὶ ἀρετὴν ἀρετῶν ἐπιλειοτάτων, ἐν βίῳ τελείῳ.* Quæ, ut
rectè intelligatur præsciendum I. dari definitum scilicet S. illud B.
Practicum. Ex omnibus illis bonis, quæ in hâc vita obtingere
nobis possunt, unum aliquod *summum* esse necesse est. Cum
enim non tantummodo omnis actio, cum ratione suscepta, certum
respiciat finem, verum etiam finium illorum unus alteri subordine-
tur, sequitur: ut in uno tandem, quod sit finis omnium (ne in-
infinitum abeamus) omnia nostra studia & actiones desinant, bo-
nique appetitus accquiescat. II. *Facultatem animæ rationali* esse
duplicem: aliam quæ rationem habet ut *λογιστικὴ*, aliam quæ rati-
onem habenti obtemperat, nempe *appetitum lib. I. Ethic. C. ult.*
inque

Inque duabus his facultatibus reperiri actionem illam quam quaerimus, & quidem *in anima per se rationali*, ut principio praescribente, *in facultate vero per participationem rationali*, ut in subiecto praescriptum illud rationis suscipiente, ac imperiū illud sequente. Unde notanter observamus Philosophum S. B. collocare *in operatione utriusque facultatis*. III. Usū rationis *in actione* illa animae rationalis rectum, & naturae suae convenientem *secundum virtutem* suam, esse debere. Virtus autem in genere id est, quod aliquid bene affectum redditur *Lib. II. Eth. C. V.* Sic manuum virtus est robur & agilitas *Lib. IV. de Part. Animal. C. X.* haec vero summitas est naturae manuum. Pedum virtus est velocitas, quae & ipsa summa est perfectio pedum. Non secus anima rationalis, si S. B. particeps esse velit, agere debet secundum virtutem suam. Virtus haec exigit, ut facultas per se rationalis recte regat appetitum sensitivum, facultas autem per participationem rationalis, recte sequatur. Appetitus enim sensitivus per se iudicandum: rationalis bonum honestum appetit. Et si illud: tum utriusque facultas agit *secundum virtutem sibi propriam*. Sequitur ex his IV. non quamvis virtutem ad S. B. sufficere, sed tantum *perfectam*. Aliud autem est perfectum ratione partium, aliud ratione graduum, aliud denique ratione finis & durationis *lib. V. Met. c. XVI.* Omnes hos perfectionis gradus involvit S. B. Nam si illud ratione partium consideres, non in una aut altera virtute consistit eius perfectio, sed in illa virtute quae appetitus gratia perfecta est, scilicet *Justitia*, non quidem particularis, sed quae *adversus* est seu *collectio omnium virtutum*, & ne minimum quidem iniusti vel inhonesti admittit; haec expressè perfecta vocatur *lib. V. Eth. c. I. & lib. II. Eud. c. I.* Si graduum rationem habeas, S. B. exinde perfectum est, quod homo in Republ. versans multorum quaerat utilitatem: nam *multis prodesse excellentia virtutis est, quae virtutem facit maximam, lib. VIII. Polit. C. IX.* Ratione tandem durationis, perfectio S. B. non interrumpi debet vitiosa aliqua actione. Cum autem Philosophus ad S. B. non tantum Virtutem perfectam, sed & *optimam* requirat, *Justitiae Prudentiam* adungere nulli dubitamus. Ut tandem haec omnia ab
A 3
homi-

homine præstari possunt, requiritur, V. *Vita perfecta* quæ non in statu solitario, nec domestico, sed politico consistit; nimirum cum in hoc statu vita perfecta, præsertim ætate media S. B. capacissima, (reliquas enim meritò excludimus), consistat, & apud imperantes apicem inveniatur, S. B. quoque ibi perfectum in vita perfecta esse, clarissimè evincitur. Proinde si S. quod hic describimus B. consistit in actione virtutis, non querendum erit in (1) Voluptate vel corporis vel animi, non, (2) in divitiis, non (3) in honoribus, nec (4) in aliis bonis fortunæ & corporis, imò nec (5) in habitu virtutis, sed in operatione animæ rationalis, secundum virtutem perfectam & optimam in vita perfecta. Ex his omnibus in unum collectis definitioni pro instituti nostri modulo satisfactum fuisse speramus. Prolixior & accuratior est ARISTOTELIS, qui S. B. proprietates describit lib. I. Eth. c. I. III. IV. V. & XIII

IV.

Elucescit è prioribus à veritate & Aristotelis mente abire, illorum quorundam ἀναβιβασίων, qui Politicam & Oeconomicam in unum compingunt Systema; Ethicam vero à Politica separant. Hos errare, probamus: quia mens est Philosophi σοφία sive elementa Politicæ in priori ejus parte, Ethicæ scilicet, tradere: quod manifestum evadit ex Lib. IV. Pol. C. XI. unde disertè πολιτικὴ τις Lib. I. Eth. C. I. & XII. item: πολιτικὴ περὶ τῆς ἡθικῆς Lib. I. Rhetor. c. IV. vocatur. Insignis locus est, quem expressè legimus lib. I. M. Mor. c. I. Μέγιστον ἐστὶν ἀρετῆς, ὡς εἶπεν, ἢ δὲ ἡθικῆς; ἢ περὶ τῆς ἡθικῆς πραγματεία, τῆς πολιτικῆς; quo quis clarior? II. Planè non obstat in Politica agi de Republica, tanquam objecto formali, exclusò S. B. & virtutibus; Sciendum enim, unamquamque disciplinam non versari tantum circa objectum, sed etiam agere de objecti illius principiis & partibus. Jam vero practicæ & effectivæ disciplinæ finem principia agnoscunt, sicut hypothesin mathematicæ lib. I. Eud. c. VIII. lib. II. c. X. & XI. lib. I. Eth. c. II. VII. IX. X. Lib. VII. Eth. c. IX. XI. Quando proinde Politica agit de republica, ejusdem etiam & non alterius erit scientiæ considerare si

86

nem reip. h. e. S. B. Imò si Politica considerat remp. quod nemo negabit, occupabitur etiam circa optimam reipublicæ speciem, quæ quomodo sit & instituenda & gubernanda, nil nisi ratio S. B. docebit. *Vid. lib. VII. Pol. c. XIII. Quidam III. hic in excessu peccant & tres distinctas faciunt Phil. Pract. Partes: Ethicam, Politicam, Oeconomicam*, hac ratione permoti, quod totuplex sit S. B. consideratio; vel quatenus abstractum est à statu solitario, vel quatenus restrictum est ad statum civilem, aut quatenus considerationem sibi vendicat in statu domestico. At hæc Philosophia ut dudum jam, ita & à nobis facillimè exploditur. Si nimirum S. B. ab illis consideratur: (1) quatenus abstractum est à statu solitario, poterit etiam considerari, ut est restrictum ad hunc statum, & sic oriatur nova Phil. Pract. quarta videlicet, disciplina. (2) statum solitarium à S. B. §. III. nostræ Disput. eliminavimus, quia destitutus est omnibus mediis ad S. B. necessariis, & objectis erga quæ virtus exerceri poterat. Tacemus: quod hominem naturâ sociabilem in ordinem brutorum releget. *lib. I. Pol. c. II. & beatitudinem civilem interrumpat lib. I. Eth. C. V. Concludimus E. IV. Totam doctrinam Ethicam verè dici posse & debere Politicam*, quia unam nobis constituunt disciplinam, quæ tantum in duas partes, in quarum prima agitur de fine Reip. i. e. S. B. in secunda vero de Rep. ipsa, dividuntur. Afferimus insuper Oeconomicam peculiarem à Politica specie diversam disciplinam practicam esse: Distincta quippe ab ea est (1) Fine (2) Objecto, quod denominatio utriusque indicare videtur, (3) diverso imperantium respectu (4) Jure: aliud enim docetur in Oeconomica, aliud in Politica *lib. V. Eth. c. X. Prolixiores hęc in negotio sunt. Max. Rev. D. ZEIDLERUS. Intrad. in lect. Aristot. §. CLXXXV. p. m. 409. it. §. CCXIII p. m. 471. 473 cit. D. WATSONIUS Un. Sæp. p. m. 4. 5. & 37. alleg. Dn. Prof. HEDIO. I. e. p. m. 34. 37. Excell. Dn. THEGEN. Diss. Pec. de diff. Ethic. Pol. & Oecon. Ao 80. Regiom. hab. Præcl. Dn. M. CASPARI Præceptor olim noster publicè honorand. Polit. Spec. Diss. I. §. VII. IIX. Ao. 82. Rigæ ed.*

V.

Progredimur ad Physicam. Nonnulli hic contra ARISTOTELEM & rei veritatem convitiis certant, ut primam Materialiam

riam fede suâ expellantur. Cum enim intellectus noster in omni
causarum genere, ne in absurdum infinitumque speculando abeat,
aliquod primum invenit, & ipsæ res naturales, cum primò gene-
rantur, & esse incipiunt, cumq; ultimò, resolvuntur, ac intereunt;
Materiam non tantum secundam proximam & sensibilem, sed &
primam remotam & intelligibilem referant: non est, ut convitiis
hic locum demus, & veriore deferamus sententiam. Ita acutissi-
mè, ut solebat, B. WATSON, *Disp. cit. Part. II. §. III. & Un. Sap.*
p.m. 344. 345. Vid. hinc inde, fusè tamen ARIST. 1or. lib. I. Phy-
sic. & lib. II. de Gen. & Cor. c. IX. lib. VII: Met. c. III. lib. VI. c. VII.
lib. XI. (XII.) c. III. & B. D. DANHAUER. in Explic. Term. Artic.
VII. p. m. 29. Magnif. D. SCHERZER. Nucl. Philos. Qu. X. in Phy-
fic. p. m. 244. JAC. MARTINI. Quest. illustr. Philos. Cent. I. Disp.
IV. Qu. VI. D. ZEIDLER. Introd. in Arist. §. CCXCVI. p.m. 651.
HUNDESHAG. *Physic. Qu. V. p. m. 31. JACHÆUS, cum not.*
ZEISOLD. *Instit. Physic. Lib. I. c. VI. p. m. 40. seqq. M. STIERIUS.*
Præc. Physic. p. m. 7. 8. & alii.

VI.

De occultis (ut vocantur) qualitatibus hic etiam aliquid
delibandum est. Nec latet nos plurimos & hodiernum esse
quibus hoc refugium in assignandis effectuum quorundam causis
universale non minus, quam particulare est asyllum. Si quæras
ex illis an dentur? loco? responsionis Antipathiam & Sympathiam,
Consensum & dissensum etiam rerum inanimatarum inconsultâ
philosophiâ protrudunt. Si, quid sint? difficile, inquirunt, hoc est
explicatu, vid. PEUCER. *de divinat. p. 327. 328.* quoniam ea-
rum ratio facile reddi non potest MAGIRUS. *Physiol. lib. III. c.*
IX. Th. II. p. 222. Fulse & ad admirationem usque SCHWIMMER
in Curios. Physic. p. m. 41. seqq. SPERLING. Instit. Physic. lib. II.
c. III. Qu. II p. 331. 333. Nos his missis cum Philosopho nostro præ-
ter Qualitates activas & passivas, lib. IV. *Meteor. c. I.* hasque mani-
festas, nullas hoc loco agnoscimus. Si scire est rem per causas co-
gnoscere lib. I. *Post. Anal. c. II. & lib. I. Meta. c. III.* docere vero
causas rei, manifestas scilicet & evidentes, tradere lib. I. *Met. c. II.*

vel

vel quicquid dicitur demonstratione aut inductione cognoscitur. *lib. I. Post. An. c. XV.* certè *ex occultis nil disci, nil doceri poterit*, imò nec scientiæ Philosophicæ ex prioribus aut notioribus tradendæ erunt. Non equidem facilè dabitur quispiam, qui omnium rerum scientiâ se gaudere affirmaverit, quantum enim est quod nescimus! neque tamen sequitur: *quod ignotum mihi, id ignotum perinde omnibus, ignotum in se est*, quod solitò more, optimè observavit Excell. DN. Prof. SELIGMANNUS hodiè almæ nostræ Universit. RECTOR MAGNIF. *Disput. de Cunctar. bon. A. C. habit. §. XXII.* Proinde tamen non ad occultas oportet confugere eum qui demonstrat aut docet, sed tamdiu inquirere, & naturam rei subjectæ perspiculare, donec ad qualitates manifestas perveniat, ex quibus *propositum clarè & perspicuè deducatur. Alias satius est ignorantiam suam confiteri* abjecto omni ejus velamine, quam mul- tum de scientia loqui & fucum hominibus facere, atque simul pro- dere negligentiam suam, quod huc apprimè *ex Analys. Post. DN. D. ZEIDLERI lib. I. c. XI. p. m. 177.* trahi potest. Nobis antipathia & sympathia, amicitia & odium &c. ad metaphoram rhetoricam me- ritò releganda veniunt. Latius, & quidem non extra oleas, quod dicitur, hic evagari possemus, si instituti ratio juberet. Brevissi- mum (quæ animalibus deliberandi facultate præditis verius conve- nire videntur) in Plantas propriè & philosophicè loquendo haud cadere. Neque necessitas nos cogit errorem ANAXAGORÆ & EMPEDOCLIS, qui *plantas voluptate & dolore affici dicebant. Conf. lib. I. de Plant. c. I.* multò minus CAMPANELLÆ, recoque- re; hic, risum teneatis! sensum plantis adscribens, *ear, nisi tam- aliæ in terris radicatae essent, & pedes organaque haberent, non tantum vitaturas ladentem, sed etiam læsas, vocibus dolorem suum restaturas esse*, sanctè affirmare audeat, citante eum & re- fut. Dn. D. MORHOFIO *Disput. de Paradox. sens. c. I. A. 3. Kilie Ab. 76.* Quod si tamen appetitu sensibili, sensuque pollent plantæ, cur non etiam somnum capere & vigilare dicuntur? aut hoc in- ipsis non deprehenditur *Leg. lib. de somn. & Vigil. c. I. item*

KK. 81.

KENEL

KENL **DIGBÆL**. insignem *Orat. de Veget. Plant.* Amstelod. Ao. 78. ed. Interea si contingat hanc plantam feliciter crescere, illam vero appositam arefcere, causa in temperamento & vel suppeditatione, vel subtractione alimenti verius querenda erit. Etenim, si una alterius alimentum non subtrahat, nec corrumpat, sed potius promoveat, & benigna aliqua qualitate imbuat, videbimus eas simul feliciter germinare. Ferunt Rutam juxta ficum fecundari: nimirum ficus arbor est temperamento calidior, iccirco & nutrimentum juxta se habet copiosissimum, quod bene convenit ruta, utpote quæ & ipsa herba calidior est. Neque inimicitia est oleæ cum quercu, & brassicæ cum vito, sunt enim hæ plantæ temperamento contrario instructæ, & altera alterius alimentum subtrahit vel corrumpit, ita ut uno in loco & uno terræ spatio simul germinare nequeant. In aliquibus locis plantæ plantæ non crescunt, nec tamen in dissensum quendam causa reiicienda erit, sed in terræ constitutionem; Sic nullus deprehendetur locus, quem fortè rivus alumine tinctus præterfluit, quod & **THEOPHRASTUS** notavit, qui quicquam herbarum circa se aut patiatur, aut gignat, ob siccitatem prædominium tenentem. Plura diceremus, nisi Animalium antipathia &c. nos vocarent. Multa hic sunt fabulosa, nec ipsis Patronis sat explorata, quod in **KIRCHERI Art. Magnet. lib. III, Part. VI. c. I. p. m. 657. 658.** observare licebit. Haud invitus illud prætereo quod de Leone cantum galli non ferente habet **GOCLEN. de Curat. Vuln. Magnet. p. 216. 203.** de lupo, quò visò homines obmutescunt **SCALIGER Exerc. CCCXLIV. p. m. 1074.** aut raucedine laborant. **CÆSALPIN. Dam. Investig. Peripat. cap. XVII. p. m. 161.** D. de Encheneide (pro quo alii legunt Enchincide) piseiculo naves onerarias Indicas in Oceano remorante. **KIRCHER. l. c. p. m. 660.** Nimirum tædiosum esset, & non sine magno temporis dispendio, omnia adducere. Vid. de Symp. & Antip. inter hominem & mineralia, lapides &c. **SCHWIMMER, l. c. Disfert. VI.** Melius illi, qui causam manifestam in his mysteriis querentes partim ad diversam corporum constitutionem, partim ad effluviolorum diversam figuram, partim ad odoris & halituum dis-

spere

spersionem aërisqve commotionem, ut plurimum vero, quoad
 homines, ad phantasiā recurrunt. Prolixior & accuratior de
 Animal. Symp. & Antip. est DIGBÆUS de *Natura Corpor.*
 CXXXIX. p. m. 423. seqq. qui dicta mysteria solidissime ex-
 plicat. Sufficiat hæc in præsentī primis quasi degustasse labris,
 (hic enim scopus thesæos nostræ est, ut ostendamus ex occultis
 nil doceri posse) quilibet quippe sanioris philosophiæ cultor vide-
 bit, quid de occultis sit sentiendum qualitatibus. Una vel altera
 tamen, curiosa, nī fallor, moveri poterit quæstio, scilicet;
 Cur quidam homines butyrum, alij caseum &c. averterent?
 cur musica in integrum restituat homines à Tarantula læsos? An
 Unguenti armarii effectus naturalis, an licitus vel diabolicus,
 num infallibilis sit? At de his aliā occasione! Evolvatur in-
 terim, si placuerit, *Disp. Ao. 80. Lipsæ de Lingu. Armar. à M.*
 GEORG. LANO hab. nec non KIRCHERUS *Mund. Subter-*
ran. Tom. II, lib. XI. Sect. II. c. VII, fol. n. 279. ex professo *idem*
de Art. Magnet. lib. III. Part. VII. c. II. p. m. 180. seqq. D. WAT-
 SON. *Thef. Prob. in Sap. Sec. Porcion. IV. §. III.* hic Rostoch.
 Ao. 51. hab. *cit. MARTINI l. c. Cent. V. Disp. X. Qu. VI.* Denique
 de vi attractiva Magnetis, cujus effectum *ex materia* cruditè de-
 duxere CÆSALPIN. *Quæst. Medic. lib. I. Qu. XIII. p. m. 200.* E.
 D. ZEIDLER. *Analyt. Post. lib. I. c. XI. §. III. p. m. 176. seqq.*
 quam sententiam etiam fovet prælaud. Dn. Prof. CASPARI in
Colleg. Physic. nob. olim dictat. qui omnes hic evolvendi sunt. Nos
 vero, ut diximus, hæc. *ὡς ἐν τὰς δὲ*

VII.

Nec *Vacui* consideratio inanis erit; quod cum multo-
 pliciter dicatur, nobis hoc nomine venit intervallum, in quo
 nec aer, nec aqua, nec ignis, nec aliud quid adest, sed id quod
 plane omni corpore est privatum. Hoc *viribus natura &*
artū (Deo enim nil impossibile) dari posse, non sine ratione
 negamus. Fuit Anno 1648. Varſaviæ in Polonia VALERIA-
 NUS Magnus frater Capucinus, qui primas inventi alicujus
 experimenti laudes sibi arrogare ausus est, Quam vis certo con-
 fiet, id jam ab Anno 1643. in Italia vulgatum fuisse, & eodem anno
 Romæ & Florentiæ inter doctos quosdam, hac de re viguisse,

B

controꝝ

controversias. SCHOTTUS in *Techn. curios.* lib. III. c. II. p. m. 194: literas Galli de ROBEVAL ad Nob. des NOYERS Parisiis XII. Kal. Octobr. A. 47. datas, exhibet, quæ certè omnem dubitationem eximere nobis videntur, quin hanc inventionem TORRICELLO Ducis Hetruriæ mathematico, potius debeamus, etsi se Valerianus in *Narratione Apologet. de Invent. artis exhibendi vacuum* excusaverit. Accedit, quod KIRCHER. in *Musurg. lib. I. c. VI.* cit. SCHOT. expressè scribat: *Certo mihi constat, primum à Torricello detectam* dicti experimenti inventionem; quod simul nobis ostendit nihili æstimandam esse Schotti ambiguitatem qui l. c. p. 197. dicit: *Non repugnare plures eodem tempore rem eandem detexisse, vid.* ejus *Mag. Natur. Part. III. lib. VII. c. IV. p. m. 587.* Experimentum ipsum verò & descriptionem tubi cum infusione hydrargyri &volv. *Technic. cur. p. m. 198.* seqq. Lis quidem hæc nihil ad nos, neque enim vel cum Valeriano, vel Torricello facimus, quia vacuum, de quo loquimur, neuter horum introduxit, quando quidem hujus experimenti effectum refutavere D. WATSON. *Part. III. Thes. in Sap. Sec. S. V. Rostoch. A. 51.* hab. Dn. ERASM. FRANCISCI antequam experim. rationem exposuisset in dem eroff. *Lusth. der ober. Welt Desc. II. p. m. 6465.* Non equidem ignoramus præter modo dictos aliosque, TILESIIUM scilicet KYPÉRUM &c. Illustr. ROB. BOYLE, occasione evacuationum æeris Magdeburgicarum, machinam quandam in principio *Epist. suæ ad Dn. Dungarvan,* descriptam, invenisse; denique & Nob. Dn. OTTON. GERICKE scriptis A. 56. ad Schottum literis (*Cujus Techn. curios. Lib. I. c. XII iterum fuscè consul.*) Vacuum per artem curiosissime quæsvisse; experimentum ejus vid. in Tract. quem inscripsit *Experimenta Magdeburgica Libro* si adhuc recte me nini, III, vel si hic non ad manus SCHOTTUS. l. c. *Techn. Cur. tot. lib. I.* Attamen nihil ob stare dicimus quò minus ex his decantatis alias experimentis vacuum non tam probetur, quam potius destruat. Quod vitrum illud cit. BOYLE attinet, haud dubitamus illud poris fuisse plenum, per quos aer tenuissimus (qui tamen educi omnis non potuit) sele iterum insinuavit. Neque poros vitro affingimus cum
à parti.

à partibus nostris dudum steterint MAGNAN, *Philos. Nat. c.*
XVI. Prop. II. Num. VII. ex quo SCHOT. *l. c. T. C. lib. IV. c.*
V, p. m. 251. Dn. D. MORHOF. in *Epist. de Scypho Vitreo*
per cert. bum. voc. sonum rupto edit. Kilon, Ao. 72. *lit. B. 3.*
scqq. qui hanc rem ex ERASM. BARTHOLINO in *dissert. de*
Poris Corp. HOOCKIO &c. more suo accuratissimè probat.
Loqvatur ipse Dn. BOYLE. ex cuius effato magnes in vitro
Hermetico undiqve conclusus, ferrum tamen extus appositum
attrahere non destitit. Imò si Adamas indomitæ alias natu-
ræ & maximæ soliditatis, poris & effluviis suis gaudet; quod
in *Tract. de Atmosphæris Corp. Consiß.* probare annititur,
quis celeberrimi alias Angli judiciò fragile vitrum promiscuè
è numero talium excluderet? Idem, TORRICEL. & VALE-
RIAN. M. observare debuerant, quos hac hypothese firmiter
stante subtiliter satis deceptos esse, nemo facile ibit inficias. Dn.
GERICKE non sententiæ nostræ, sed vacuo adstruendo potius
videtur contrarius esse. Experim. ejus quod apponimus, duo
erant hæmisphæria cuprea, absqve ulla aliqva materiali copu-
latione coarctata, sibiqve adeò firmiter adhærescentia, adeò
ut ne quidem à XII eqvis in diversa, nec gravissimis ponde-
ribus deorsum trahentibus, divelli possent, nisi vis distracti-
va major sit, quam vis & gravitas aeris ea tunc circumambi-
entis & comprimentis, ob hanc videlicet causam, quia omnem
aërem (quod fortè limitandum erit) probè exantlaverat eduxer-
atqve. Jam quidem his aliisque compluribus experimentis
Celeb. Virorum, insigne encomium circa phænomena aëris
accuratius explicanda, relinqvimus: *Vacuum* tamen *reale*
inde probari, nequaquam concedere audemus. Hæc ratione
moti, inter aerem effluviis refertum, & ætherem ab effluviis &
halitibus planè liberissimum corpus, distinguimus. Aërem quidem
quodammodo extrahi facile concedimus, nequaquam vero
ætherem, qui ob summam subtilitatem recedentibus, aliis cor-
poribus è spatio quocunqve mox succedit, imò omnia corpo-
ra facile permeat ac penetrat. Unde nemo omnes vacui
defensores certos reddere poterit, omnem aerem planè esse

extractum & evacuatum, ne vel subtilissimus aer vel ether remaneat; ne dicam, quod simulac opere syringis aliquid elicitur & pneumatica a nlia removeretur, semper aliquid furtive inter Emboli & Tubi syringis latera, uti & inter, ventilia & epistomiorum claves seu verticilla irrumpat, nec possibile fore fit tam arte & perfecte munitum epistomium preparare, quod aeri omni introitum excludat. Iterum ex SCHOT. l. c. lib. l. c. XXVI. p. m. 67^a audio, quem propterea adeo frequenter adduco, cum certo noverim, illum ipsum non tantummodo dicta experimenta repetiisse, sed etiam ex Dn. GERCKY creberrimis literis nobis omnibus hac in re certiore factum esse. Suffragatur ei Laud. BOYLE qui circa hæc phænomena lussulenter testatur, se ex dictis vasibus & phialis suis omnem aerem extrahere haud potuisse. Si objeceris in Tubo Boyleiano evacuato animalcula oclusa extincta esse, scias id non ob defectum aeris, sed fore non sufficientis, quod ex cit. Diss. S. XXIII. Magnif. Dn. SELIGMANNI notamus, factum esse. Circa exper. Torricelli eadem sat accuratè notavit B. Dn. WATSON. cit. Diss. Numne ex motu Mercurii & aquæ qui concitatur, dum jam sursum, jam deorsum vertenda est fistula, excitatur halitus qui est instar aeris, & opplet locum quem somniabat ille esse vacuum? Tacebo, quod Mercurius mixtum quoddam ex quatuor elementis sit, eiqvè præter ætherem, spiritus & halitus è Mercurio extractos, multum aquæ instit, fufus id probante SCHOT, l. c. T. C. lib. IV. C. V. p. m. 252. quæ omnia mens monachi augustissima capere nullo modo potuit. Restant adhuc dissentientium plura & Exper. & argumenta: opponunt nobis condensationem corporum aquæ in olla glaciatæ; siphunculi orificium pice vel digito obturatum, in quo egre recedit pistillum; Vas cinere repletum tantum aquæ iterum, dolium vero vino plenum & in utres diffusum postea tamen idem vinum cum utribus capiens. Adducunt meatus, nescis, quosnam vacuos sine quibus alimentum in omnes corporis partes distribui, usq; communicari haud possent. Citant huc ipatiua imaginaria extra coelum, vacuumqve privativum tante mult.

mundi creationem & fortè adhuc plurà alia, quibus omnibus vacuum
 tamen nullo modo probari, in conflictu ipso quærenti, evictum
 dabimus. Nunc Thesin nostram porro, consentiente undiqve amplif-
 simo philosophorum choro, partim experim. partim argumentis
 roborabimus. *Ratione prioris* notandum ex KIRCHERO. I. quod
 si vas aquâ fervidâ repletum ita clausuris, ut omnis acri exitus in-
 tercludatur, illudque acri hiemali exposueris, fiet ut in eo aqua
 rarefacta necessario ex ambiente aere frigido condensata in mino-
 rem locum sese contrahat, & quoniam aliud in abeuntis locum
 corpus substitui nequit, *nimio imminentis vacui metu*, vas horrendo
 cum fragore & sonitu in minutissimas partes confringetur.
Tom. I. Mund. subr. lib. IV. Sect. II. C. X. f. m. 22. b hoc experimen-
 tum certum est, quomodocumque etiam id explicet ARRIAGA *Curs. Philof. Disp. XVI. Phys. sect. X. n. 197. f. m. 585. a. ll.* Acclamant
 antliæ suctoriæ & omnes canales cum aquæductibus subterraneis.
 III. Clavis exsucto aere labris affixa. IV. Cucurbitulæ quas balnea-
 tores carni nostræ applicare solent. V. Folles qui receptaculo æris
 sive foramine obturato, divelli sine ruptura non possunt. Ut
 taceamus. VI. Vas illud quo hortulani agros irrigare solent, clauso
 enim in superficie foramine, nec gutta effluet. Idem VII. sequitur,
 si dolium aquâ repletum extracto epistomiò vertas, effluet enim
 aqua, vel difficulter quasi ebulliendo, vel plane non quippe si uno
 impetu simul elaberetur, impedito successivò aeris ingressu, daretur
 vacuum. VIII. De duabus tabulis gravissimis perfecte planis & sibi
 invicem superimpositis, quæ si superior antam habeat divelli
 non poterunt. IX. Dequæ duabus Æolipilis prius calefactis & aquæ
 frigidæ, immerfis aquâ intra se trahentibus &c. Vid. SCHOTT, *Techn. Cur. lib. IV. c. V. Scrut. I. p. m. 249. & Mag. Nat. Part. III. lib. VII. c. I. p. m. 565. 567.* ARRIAGA, *l.c. Disp. XIV. f. m. 539.* *Ratione postea-
 rioris* tandem, ad vacuum averendum utitur natura (1) *Rarefactione*,
 videbimus enim corpora densa rarefieri, rara condensari ut majus
 vel minus implere possint spatium. Vel (2) *Inhibitione motus*, sic
 summâ vi renitentur corpora ne dimoveanturâ sua contiguitate.
 Vel (3) *motu locali* ut res leves deorsum, graves sursum, contra
 naturam ferantur, quò scilicet corporis recedentis locum occupare
 possint

possint. Denique si nihil horum obtineri queat utitur (4) *Fracti-*
one quâ mediante corpus quod undique erat obturatum & obstru-
 ctum, ut relictetur vacuo, disrumpitur. Cumulus argumentorum
 nos circumstat: possemus adhuc dicere vacuum naturæ univer-
 sali & particulari repugnare, commune hujus universi vinculum
 rumpere, omnem attractionem corporibus necessariam undique
 remove, rerum contiguitatem dissolvere &c. nisi excellentiores
 philosophi hâc de re egissent. Non tamen subticendum est infi-
 gne argumentum, quod *de motu in Vacuo* (qui simpliciter negatur
 nisi divinam potentiam excipias) in specie Anno 76. in almâ hac
 Academ. publ. *Disput.* tractavit Adm. Rev. Dn. M. QVANDT jam in
 Patria mea publico munere clarus, item CÆSALPIN. *l.c. Quæst. Peri-*
patib. lib. III. Qu. IV. p. 60. cit. MARTINICent. III. Diss. I. Quæst. V. in ge-
ner. Vid. SPERLING. Inst. Phys. lib. II. c. V. p. m. 395. MARTINI. c. Cent.
II. Diss. X. Qu. V. WATSON. Un. sap. p. m. 364. DIGBÆUS de Nat.
Corp. c. III. §. VI. VII. p. m. 23. 24. & C. XII. p. m. 200. seqq. JACHÆUS.
l.c. lib. IV. C. II. X. p. m. 289. HUNDESHAG. l.c. Qu. XL. p. m. 289. FRAN-
CISCI. Oberv. p. m. 68. seqq. VOIGT. Physic. Zeitverr. Cent. I. Pr. LIII.
p. m. 137. M. STIERIUS Pr. Phys. p. m. 34. cit. SCHOTT. Mag. Nat.
p. m. 568. 571. de RACONIS Physic. p. m. 258. ad quos B. L. remittimus.

II X.

Terram Elementum esse (de numero enim horum jam non
 sumus solliciti) apud omnes in confesso est. Definitio extat *lib. II. de*
Gen. & Corr. c. III. Terra est elementum siccissimum, frigidum & gra-
vissimum. Philosophus terram nominat *siccissimam*, non tantum
 quia terminis suis facillimè continetur, nec diffuit, quod enim
 concretum est, siccum est *lib. II. de Gen. & Corr. c. II.* sed quia om-
 nem humorem facile etiam imbibit, cohibet & exsiccat, per se &
 quatenus ipsa est sicca, aded ut etiam quæ terræ propria, omnia sic-
 ca sint. *lib. II. de Partib. An. c. III.* Ignis enim non tam siccitate
 siccet quam calore, quia caloris excessus est. *Lib. II. de Gen. & Cor.*
c. III. quo humiditatem absumat. FRAN. PATRICIUS hic frustra
 exagitat ARISTOT. quod terram *frigidam* statuerit: notum enim
 est discrimen inter illa quæ fiunt per se & per accidens. *Lib. I. Phys.*
§. II. lib. IV. Met. c. II. Sic licet terra alicubi sit calidior & ignes
 aliquan-

aliquando evomat, aquasque ferventes, fit id ob mixtionem calidiorum corporum, item pingvium, bituminosorum, sulphureorum, virtute ignis subterranei, tantum per accidens. Deinde si terra non est frigida cur partes ejus profundiores sentiuntur frigidiores, per quas scilicet radii solares non penetrant? Exinde autem qui a Terra frigida, hinc quoque densa, solida & gravissima est; Frigidum enim est densare *lib. IV Meteor. c. VII.* quemadmodum calidi attenuare *lib. de Part. An. c. II.* quò vero quid densius eò solidius & gravius, sicuti quò quid rarius eò levius *lib. IV, de Cæl. c. II. & IV.* Ex nativa hac & maxima terra gravitate immobilitatem & firmam ejus quietem plurimi eorum philosophis concludunt. *vid. fusè lib. II. de Cæl. c. XIII. & XIV. JAC. MARTINI. Qu. Illustr. Cent. VI. Disp. IIX. Qu. VI.* Nos tamen tenent nostrum judicium hic suspendimus, præsertim cum omnes terè Neotericos & clarissimos ubique habeamus viros, mobilitati Terræ magis propitios quam quieti. Conf. Excell. Dn. D. DÖBELII *Cent. IV. Problemat. Physic. de Telluris motu.* Dn. D. REYHERI *differt. de Mundo exc. Kilix Ao. 74. in primis c. IV. & V. seqq.* Excell. Dn. Prof. GOLDBACH. *in gemina Disput. de Terra motu & situ, ex professo Disp. II. § IIX. IX. seqq. Regiom. Ao. 80. hab. FRANCISCI. in Eust. Hause der Oberwelt. discours XVII. p. m. 336. seqq. & im Überzug unserer Unterwelt. p. m. 1418. seqq. at hosce è paucissimis! Interim ex Disp. cit. Dn. GOLDBACH. §. XIII. notavi, Gravitatem non omni motui obstare, in primis non circulari seu maximè naturali, sed tantummodo ei motui qui sursum tendit; manebit ergo definitio allata Philof. salva: Terram (vel cum vel sine motu) esse gravissimum elementorum. Paucis addo contra PATRICIUM aliosque qui mordicus conati fuerunt tueri, terram plano exporrigi pede, eam esse globosam, ita ut aliæ partes velut excavatæ subsidant, aliæ vero eminent: sicut in pomo partes nonnullæ excavatæ, aliæ vero extantes, non impediunt quo minus pomum rotundum dici possit; ita etiam id rotunditatem terræ non impedit, etsi nonnullæ partes eminent ut montes, nonnullæ depressæ sint ut valles: Nam montes & valles ad globum terraqueum nullam plane habent proportionem, Notabilis*

exte-

cæterum illa demonstratio globositatis est quam Philosophorum princeps lib. II. de Cæl. c. XIII. XIV. exhibet. *Terra*, inquit, *rotunda est, quia ejus partes extremae omnes, æqualiter seu æquilibrium quodam tendunt ad medium, ut majores compellant minores, ita ut tandem perveniatur ad quandam æquidistantiam & globositatem &c.* Argumenta reliqua vel ab umbra terræ, vel à depressione aut elevatione turrium iter molientibus apparente, vel ab occultatione & ortu stellarum; item à nautis qui in summitate mali littora aliquando obscure, ad pedem vero subsistentes nequicquam vident &c. desumpta, tractat laud. D. DÖBEL. *Gen. III. Probl. Concl. 65. 66.* Si nobis hic Antipodes objeceris, eosque ob terræ globositatem deorsum in cælum ruere dixeris, Resp. ex l. c. *Concl. 68. Viri Celeberrimi: Hic neg. τὸ sursum, æγ. τὸ deorsum nullibi absolute considerari.* Mera enim hæc præconcepta opinio rudiorum est, cum hic nec supremum nec imum datur, nisi respectum motus localis in animalibus habere vells. Paradoxum illud KIRCHERI hic obtinet, quod, de duobus hominibus in oppositas partes tendentibus, naturaliter tamen in eadem scala ascendentibus. *Tom. I. Mund. Subt. lib. I. c. III. fol. m. 18. b. evolendum,*

IX.

Requista Principiorum cum sint (1) Notiora esse iis quorum sunt propria, & de quibus ex illis aliquid concluditur *lib. I. Post An. c. II. (2) ἀόριστα & ἀναπόδεκτα lib. I. Top. c. I. & denique (3) Fundamenta omnium in universum demonstrationum.* Hoc certè principium; *Impossibile est idem simul esse & non esse*, primum simpliciter & absolute tale erit. *Conf. lib. IV. Met. c. IV. & lib. XIII. (XI.) c. V.*

X.

ARISTOTELEM veterum Philosophorum Scripta undiq; compilasse, deinde priscorum libros, ex quibus sua mutuatus fuerat, igni cremandos tradidisse: insignem in optimum Philosophum calumniam esse, certissimi sumus.

Μένει τῶ ὀψὲ δόξα!

AG

aliquando evomat, aquasque f
dorum corporum, item ping
orum, virtute ignis subterranei, t
ra non est frigida cur partes ejus p
per quas scilicet radii solares no
Terra frigida, hinc quoque densa
enim est densare *lib. IV Meteor. c.*
ore lib. de Part. An. c. II. quò
gravius, sicuti quò quid rarius e
Ex nativa hac & maxima *terra*
ejus *quietem* plurimi è philoso
Cael. c. XIII. & XIV. JAC. MA
IX. Qu. VI. Nost ~~tenu~~ *tenu* ne
præsertim cum omnes ferè Neot
amus *Viros*, mobilitati Terr
Conf. Excell. Dn. D. DÖBELI
de *Telluris motu*, Dn D. REYHE
74. in primis c. IV. & V. seqq. Ex
gemina Disput. de Terra motu &
seqq. *Regiom. Ao. 80. hab. FRAN*
discur XVII. p. m. 836. seqq. & it
1418. seqq. at hosce è paucissimis
BACH. §. XIII. notavi, *Gravita*
primis non circulari seu maxim
motus qui sursum tendit; maneb
va: Terram (vel cum vel in e mot
Pauc a addo contra PATRICIUM
runt tueri, *terram* plano exporri
aliae partes velut excavatæ subsid
pomo partes nonnullæ excavat
diunt quo minus pomum rotundu
ditatem terræ non impedit, etsi no
tes, nonnullæ depressæ sint ut valle
bum terraqueum nullam plane h

ob mixtionem cali
nosorum, sulphure
idens. Deinde si ter
ntiuntur frigidiores,
Exinde autem qui a
avissima est; Frigidi
odum calidi attenu
entius eò solidius &
, de Cæl. c. II. & IV.
mobilitatem & firmam
t. vid. fusè lib. II. de
Illustr. Cent. VI. Disp.
n hic suspendimus,
simos ubique habe
pitios quam quieti.
Problem. Physic.
fundo exc. Kilix Ao.
GOLDBACH. in
so Disp. II. §. II. IX.
Hause der Oberwelt.
erer Unterwelt. p. m.
isp. cit. Dn. GOLD
i motui obstare, in
ed tantummodo ei
io allata Philof. tal
num elementorum.
nordicus conati fue
esse globosam, ita ut
emineant: sicut in
xtantes, non impe
ita etiam id rotun
emineant ut mon
tes & valles ad glo
tionem, *Notabilis*
exte

